

CANCELL.
MARTIS B.
1718.



IX. H. 6. 121.

52.

~~2. 5. 121.~~

~~XXVIII. 9. a~~

1. De iure et Jurisprudencia domestica, sub. Jac. Frid: Ludovici, J. C. Weise,
2. Differentias iuris Rom. et Germ: in Materis Tutelis, sub. I. P. Ludovici, R. W. Hoffmann, p. Lic:
3. De Probabilitate eorum effectus, sub. I. Ludovici J. L. Schlote, p. Lic:
4. Anapresi Frisselij de iure ac statu Ragonum Germ: Sena 1670.
5. De Contractibus Patris et Liberor, in potestate ejus episcopatium / J. J. Titio J. Grop.
6. - Viris per modum Interestre ultra alterum tantum non exigendis / J. D. Weinhart J. E. Fongberg.
7. Henr: Zuppel De Testis sollicitis, Non Aufschreibung, Lips. 1700.
8. De Beneficio Competentia generalia, Speciatimq Nobilib, concavo. / J. D. Weinhart J. A. Dreycig.
9. - Substitutionib, Non Affin, fignit, adu Kausfiden, Ludwig, / J. A. L. Alen, J. P. Gutterodt pro Lic: Conf.
10. - Successione heredi in Terram maternam, / J. A. Lange J. M. Hefch. Conf.
11. - Equitate fletib, beneficii resoris bonoz / J. C. Wildvogelio J. C. Gfirden pro Lic:
12. - Iure et Privilegio selectar, in Procuratib, Peditoz in form inordinis Elect: Sax: / J. Werthofio J. C. Vo.
13. - Ubi equivo S^{cti} Vellejani in fozis Germania / J. C. Thonasio P. R. Krammoez, p. Lic. Helmstadt.
14. - Abuse Descriptozum Monasterioz / J. S. Hrykie H. C. Hagemann.
15. - Testamenti ritio vifibili et invisibili nec non de legitimo contradicere ep. l. penult. et ult. C. d. Uti diu. Matruis videndo. / J. S. H. Niur J. S. Lotzig p. Lic. Erf.
16. - Presumptio pro Sero, / J. S. W. Engelbrecht, J. C. Witeaus, p. Lic. Helmstadt
17. - Differentia Confessio Sponsalioz et matrimonialioz indez reputabilib, effectib, p. p. Suis Su. H. Drucnee.
18. - Vassallo q^o Drum Feudi propria autoritate sibi res dicenda / J. S. S. Hilligero Junz Junis. ab Heringez Lips.
19. - Necessitate Confessio Vassalli in expectantiam Feudi a Dno concordanda. / J. ed. J. A. Sartree.
20. - Iure Capidum Terminalium, Non Proff domo Gungz, d. Mastellinus, / J. S. D. Meind, J. A. Lohm, p. Lic. Erf.
21. - Poena pecuniaria in delictis carnis. / J. S. S. Hilligero, J. A. Pericua.

22, De Jure Principis circa dimissionem Ministroz. / J. H. Doehmer Phil. Acad. de Munchhausen.

23, - Jure et Statu hominum Propriorum a servis Germania, non Romanis derivando. / J. Dod. Fr:
Schroetzer, pro Lic:

24, - eodum justum est circa arborum turbinum dejectus. / C. H. Hornio S. S. Schyffert, pro Lic:

DISSERTATIO JURIDICA
DE

JURE ET JURIS
PRUDENTIA DOMESTICA,
STICA,

AVCTORE
FRIDRICH WILHELMO
FRIDRICH WILHELMO

JACOBO FRIDERICO
FRIDRICH

GLORIOSISSIMO



DISSECTIO
DE
IURE ET JURIS
TRIDENTIA DOMI
STICA

RECTOR MAGNIFICENTISSIMO
FRANCISCO RINDELLE ABBATE
FRIDERICO WILHELMO
RECTORI UNIVERSITATIS
PROVINCIALI

FRANCISCO
IACOBO FRIDERICO
LUDOVICO

PH.D. ET PROM. EX ORD.
MAGISTRO

GEORGIO CHRISTOPHO WEISSE

RECTORI UNIVERSITATIS
FRANCISCO RINDELLE ABBATE

FRANCISCO RINDELLE ABBATE



DISPVTATIO INAVGVRALIS JVRIDICA ⁷⁷
DE
**ÆQVITATE FLEBI-
LIS BENEFICII CESSIO-
NIS BONORUM**

QVAM

Divinâ adspirante Gratiâ
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. WILHELMO HENRICO
DUCE SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ AC MONTIUM
&c. &c. &c.

ex Decreto & Autoritate Illustris Jctorum Ordinis
IN HAC ALMA JENENSI
SUB PRÆSIDIO

VIRI ILLVSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIMI

DN. CHRISTIANI WILDVOGELII

JCTI CONSUMMATISSIMI
CONSILIARII SAXO-ISENACENSIS INTIMI
CVRIÆ PROVINC. ET SCAB. NEC NON FACVLT. JURID.
ASSESSORIS GRAVISSIMI
JURIS PUBL. ET FEUDALIS ITEMQUE COD. ET NOV.
PROFESSORIS ORDINARI

Domini Patroni ac Præceptoris sui submissè venerandi

PRO LICENTIA

Summos in utroque Jure Honores & Privilegia ritè legitimèque consequendi

SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI

diè 19 MAJi Ao C. MDCCIII

Horis ante- & pomeridianis submittit

GEORGIUS CHRISTOPHORUS Schreiber

Wehrdâ-Noricus,

JENÆ, Litteris MULLERIANIS.

DISPUTATIO IN ACADEMIA JURIDICA

DE AEOVITATE FLIBI

LLS BENEFICII CESSIO

IN ACADEMIA

ANNO

MDCCCXXXIII

IN ACADEMIA JURIDICA

IN ACADEMIA JURIDICA

DR. WILHELMO HENRICO

PROFESSORI JURIS

EX UNIVERSITATE ALMA MATERIAE

IN ACADEMIA JURIDICA

DE AEOVITATE FLIBI

DR. CHRISTIANO WILHOLM

PROFESSORI JURIS

EX UNIVERSITATE ALMA MATERIAE

IN ACADEMIA JURIDICA

DE AEOVITATE FLIBI

IN ACADEMIA JURIDICA

PRO LICENTIA

IN ACADEMIA JURIDICA

DE AEOVITATE FLIBI

IN ACADEMIA JURIDICA

ANNO

GEORGIO CHRISTOPHORO

PROFESSORI JURIS

EX UNIVERSITATE ALMA MATERIAE



J. N. D. N. J. C.

PRÆFATIO

ad

LECTOREM BENEVOLUM.



I Egibus laudabilibus in-
ta Facultatis Juridicæ in hac alma
Jenensi per elaborationem alicu-
jus disputationis satisfactorius, in
animum induxeram, thema
quoddam Juris Publici, in quo in-
venire licet materias plurimas

nondum satis elaboratas, ejus facere objectum, utpote
cujus studium mihi semper maximo fuit oblectamento.
Sententiæ quoque illi meæ quædam accessit confirma-
tio, cum à jam laudato illustri collegio, secundum ejus
ordinem in disputationis hujus præsidium mihi assigna-
retur Illustris Dominus Wildvogelius, ejusdem Juris
Publici Professor famigeratissimus. De themate igitur
sumendo cogitans, incidi in materias satis egregias
& curiosas, sed pro privati conditione multum aculea-
tas, cum admodum periculosum sit, de juribus eorum
qui rerum potiuntur, disputare. Aliud itaque cepi con-
siliium, & considerans, Patriæ imprimis rationem ha-
bendam esse, cumque ex collatione juris statutarii No-
rimbergensis cum jure communi, semper multas obser-
vassent diversitates, earum quandam tractandam de-
crevi. Materias ita diversas illas perlustrans, incidi in

A 2

præ-

præsentem de *Cessione Bonorum*, cujus beneficium Reformatione Noricâ, ex sententia *Domini D. Wurffbeinii*, in *disputatione sua inaugurali de Differentiis Juris Civilis & Reformationis Noricæ*, thes. ult. valdè imminutum est. Statim inde mecum constitui, Statuti hujus Æquitatem pro exiguis ingenii viribus demonstrare. Licet itaque alii in disputationibus elaborandis argumenta tractare studeant nova eaque rarissima, hæc vero Cessionis Bonorum materia vulgaris sit; est tamen in praxi valdè usitata, utpote quæ toto ferè die in judiciis occurrit; cum è contrario illa haud facillè alicui in praxi obvia fiant, adeoque usus eorum vel sit nullus, vel perquam rarus. Scribant ergo nova, qui nova adinvenire possunt, quod tamen in jure civili admodum difficile judico, siquidem omnes ferè ejus articuli in uberrimâ copiâ jamjam elaborati inveniuntur, & si quid novi fieri potest in materia quadam minus vulgari, nil ferè nisi collectione ex aliorum laboribus opus erit. Insuper obtento sine cessant media; cum autem Disputationis finis sit, edere quoddam specimen scientiæ juridicæ, idque pro cathedra oppugnando & defendendo ventilari posse, in præsentis vero themate non solum contineantur satis multa controversa, sed & credam, me non malè impendisse operam in aptando Jure statutorio Patriæ ad juris communis rationem; itaque jacta sit alea! DEUS T. O. M. conatibus meis clementer annuat, vergantque omnia in Sanctissimi sui Nominis gloriam, justitiæ administrationem, patriæ decus, proximi commodum & meam salutem!

SECT. I.



SECTIO I.

DE

Etymologia, Definitione & Divisione

Thesis 1.



Quandoquidem JCorum veterum facile Princeps, Ulpianus, in *l. i. pr. ff. de J. J. &* in *l. 1. ff. de Reb. Cred.* item Bartol. *ad d. l. 1.* & alii diligenter moneant, operam prius esse dandam, ut noscatur unde nomina descendant, quinimò Anton. Hering. *de Fidejuss. cap. 2. n. 4.* dicat: Impossibile imò turpe & reprehensibile est, non intellectis terminis rem determinare velle; & licet potior in jure nostro rerum, *l. 17. ff. de LL. l. 3. §. 9. in fin. ff. de adim. & transferend. Legat.* prior tamen verborum atque vocabulorum est habenda ratio. *d. l. 1. pr. ff. de J. J. l. 1. §. 1. ff. de Pact.* verba namque rebus, non res verbis deservire debent. Gail. *lib. 1. obs. 150. n. 6.* itaque & ego laudatorum virorum consilium sequuturus Etymologiæ aliqualem habiturus sum rationem, quod tamen, quia omnia ferè sunt vocabula notissima, paucis tantum expediendum puto.

A 3

Th. 2.

Th.2. *Cessio* igitur *Bonorum* dicitur à *cedere bonis*. *Cedere* autem, secundum Fabrum *in thes. Erud. scholast. voce*, *Cedo*, est relinquere aliquid, abire vel discedere ab aliquo & quidem ita, ut ad relicta non facilè detur reditus, veluti dicere solemus, *vità cedere*, pro mori. Sic etenim & hic ad bona cessa nullus ultrà reditus conceditur. *Bona* vero hoc loco sunt possessiones, juxta eundem Authorem, *in verbo: Bona*; Quando autem remedium illud Juris *Beneficium* dicitur, respectum id habet ad debitorem, cui hac ratione succurritur adversus creditores, quippe qui de jure suo multum remittere coguntur, atque debitorem vinculis, verberibus, & carceris squalore liberant, imò ipsà vità donant; est igitur respectu debitoris beneficium, sed satis flebile, utpote quo miser ille homo usque ad indusium fermè denudatur, omnibusque bonis sive possessionibus, quæcunque & quantæ illæ sint, despoliatur.

Th.3. *Equitas* porrò est correctio seu potius attemperatio sive directio juris scripti, judici vel Jcto relicta à legislatore, in iis casibus, in quibus lex deficit. Cui definitioni à Philosopho & Jcto exquisitissimo, D. Kobio *in Disp. ult. de Principiis Juris def. 6.* suppeditatæ B. Dominus Dürrius, in Inclyta Altdorffina quondam Professor Publ. meritissimus, *in Ethica sua Paradigmatica sect. 4. cap. 10. aphor. 8.* palmam præ aliis tribuit. Quo nomine secundum laudatum Dominum Dürrium *dict. loc.* commendatur Ciceroni *in Philipp. 9.* Servius Sulpitius, quod non magis Juris consultus, quam Justitiæ i. e. æquitatis esset, eaque quæ proficiscuntur à jure civili, semper ad facilitatem æquitatemque referre soleret. Idem Tullius

lius

lius pro *Cecinna* deprædicat C. Aquilium, quod juris civilis rationem nunquam ab æquitate sejunxerit. Ex fonte hujus æquitatis fluxit *l. 5. ff. ad Leg. Pompe. de Parricid.* eum qui filium occiderat, propterea quod novercam adulterasset, tantum deportari in insulam jubens; ut & *l. 9. §. 2. ff. cod. tit.* eum qui per furorem parentem occiderat, impunitum esse pronuncians, quod sufficiat furore ipso eum puniri. Et secundum hanc æquitatem dispiciemus & nos dispositionem juris statuarii Norimbergensis, quoad Cessionis Bonorum beneficium.

Th. 4. Antequam vero definitionem Cessionis Bonorum tradam, notandum prius hic in genere esse puto, quod in Jure nostro duæ sint Cessionis Bonorum species; una, cum quis pro derelicto habet bona sua, eaque à se abdicat, hac mente, ut illorum nolit amplius esse dominus. *l. 1. ff. pro derelicto. l. 17. §. 1. ff. de Acquir. Poss.* cujusmodi etiam sunt Cessiones actionum, cum in alium jura nostra transferimus. *l. pen. & fin. C. Mandat.* Altera, de qua hic tantum agemus, est, quando inopia pressus debitor, & facultatibus destitutus, instantibus & urgentibus creditoribus bona sua cedit.

Th. 5. Est autem, secundum Lauterbach. *in Compend. Juris h. t.* Cessio Bonorum actus, quo debitor rei alienæ sine dolo malo obaratus, omnia sua bona creditori spontè relinquit, ut illi exinde, quantum fieri possit, satisfiat, ipseque à carcere liberetur. *l. 1. C. qui bon. ced. poss.* Ubi monendum, differentiam esse inter dationem in solutum & inter cessionem; potissimum in eo, quod rerum in solutum datarum dominium

trans-

transeat in creditores ; bona autem quæ per cessione-
nem ad creditores perveniunt , jure domini ad eos
non pertinent, nec illa inter se creditores dividere
possunt. *l. 4. C. qui bon. ced. poss.* Neque enim qui ce-
dit bonis, definit esse dominus bonorum suorum ante
distributionem pecuniæ, vel, æstimatione factâ, ante
additionem rerum. *l. 1. ibique Bart. C. qui bon. ced. poss.*
Capel. Tholof. *decis. 134.* Petr. Jacob. *tit. de Cess. bon.*
Quo fit, ut cessione factâ petere debeant creditores,
se mitti in possessionem bonorum, juxta *tit. ff. de bo-
nis autb. jud. poss.* Et interim datur bonis curator, secund.
l. 2. § fin. ff. de Curat. bon. dand. Is autem vendit bona
& satisfacit creditoribus *d. l. fin. ff. eodem tit.* exercet-
que actiones utiles contra debitores cedentis. *d. l. 2. ff.*
de Cur. bon. dand.

Th. 6. Quando autem in definitione additur,
sine Dolo malo, intelligimus, non cuius debito-
ri indistinctè hoc competere beneficium. Nam qui do-
lo malo cedunt, non bonis, sed foro cedunt; & si de-
bitor nequiter sua prodegerit, decoxerit aut dolosè
alienaverit, *l. 51. ff. de Re jud. l. 63. §. 7. ff. pro Soc.* Tiraq.
ad l. si unquam, verb. bona. n. 5. C. de Revoc. donat. vel in-
terceptis multorum pecuniis foro cesserit, *Policey-
Ordnung de Anno 1548. tit. Von verborbenen Rauffleuten.*
Schneidevv. ad §. fin. l. de Act. n. 41. itidem beneficium hoc
se indignum reddit, uti pluribus infra *Sect. de subjecto*
dicendum erit.

Th. 7. Disquirendum igitur hic venit de divisio-
ne debitorum; ubi ante omnia illud adhuc monendum
esse

esse arbitror, intelligi hic debitorem qui non solvendo factus est. Solvendo autem esse nemo intelligitur, nisi qui solidum solvere potest. *l. 114. ff. de V. S. §. 15. vers. Falloni J. de Obl. que ex delict. nasc.* Caterum tales debitores variis insigniuntur nominibus, & Jure quidem antiquo audiunt *Decoectores & Foro cedentes*; Jure vero novo, *Falliti & Bancoruptores*, quas appellationes cum distinctione reali simul considerabimus, in quibus quidem aliquanto ampliores erimus, quia infra dicendis inferviunt. Et cum ea in re insignem navaverit operam Benvenut. Straccha, Patritius Anconitanus *in tractatu suo de Decoctoribus*, Viri illius accuratissimi vestigia in his omnibus premam.

Th. 8. Ita autem ille *Part. 1. n. 2*: Sunt non leves aucthores, qui dicunt, decoquere idem esse apud antiquos, quod bonis cedere, & delinquendo creditoribus imponere; quod non est sine dubitatione, & à me non recipitur. Nam Veteres & in eo, qui fortunæ vitio decoxisset, non suo, & sic absque delicto fortunæ conturbasset, hoc verbo utebantur. Id quod indicat Ciceronis locus de L. Roscia statim referendus. Meminit etiam de hoc verbo Bud. *in l. moris. ff. de Pæn.* & ait: Decoquere est creditum non reddere, & re credito fraudare. Hinc etiam Decoectio ipsum, quod materna lingua fallimentum vocant, significat, de quo nomine habes in *l. Jure provisum. Cod. de Fabricens. lib. XI.*

Th. 9. Decoectorem autem describere possem ex mente Angel. *in consil. 61.* quod sit, Detrectans solvere, inopia, & mole debitorum oppressus, cessans & fugiens, aut latitans. Videtur etiam Decoectoris descriptionem

B

sumi

sumi posse ex verbis Imperatoris in §. 8. *Inst. de Societ.* quod sit is, qui mole debitorum, sive privatorum sive publicorum pragravatus bonis suis cesserit. Placuit tamen Stracchæ definitio seu descriptio, quando ait; Decoctor est, qui fortunæ vitio vel suo, vel partim fortunæ, partim suo vitio non solvendo factus, foro cessit.

Th. 10. Dixit verò laudatus Straccha: *fortunæ vel suo vitio*, ex eo, quod bellissimè inquit Cicero *Philipp. 2.* in hæc verba: *Tenesne memoria, Prætextatum te decoxisse? Patris inquires ista culpa est, concedo; etenim pietatis plena est defensio. Illud tamen audacia tua; quod sedisti in XII. ordinibus, cum esset L. Rosciâ decoctoribus certus locus constitutus, quamvis quis fortuna vitio, non suo decoxisset.* Quando autem Straccha in definitione Decoctoris in fine adjicit: *Cessit foro*, mallet quidem potius ista verba hinc exulare, quia *foro cedere* in proprio significato ad eum applicatur, de quo illud dici potest: *Abivit, excessit, evasit, erupit*; tales enim vel propria conscientia victi, ut plurimum vitio suo bona decoxerunt, ita ut cum illis, qui fortunæ vitio facultatibus lapsi sunt, malè comparentur, id quod æquitati contrarium esset. Explicandum igitur erit quid sit *Foro cedere*.

Th. 11. Aliud nimirum esse *Foro cedere*, aliud *Bonis cedere*, suprajam indigitavimus, in quo etiam, ut *Dd.* notant, lapsus est *Accurs. in l. 8. ff. Depos.* Sed ad rem! erant nempe in foro Romano mercatorum numulariorum tabernæ, pone & juxta ædem Castoris, ut ex Terentii *Phormione*, Plauti *Perfa & Curculione*, & *Juvenias Satyra 34.* ibi quanto capitis discrimine &c. constat, & latè docet *Budaus in explicat. l. 7. §. fin. ff. Depos.*
in

in publico videlicet loco, ubi cuius mensæ argentaria præpositus quidam erat quasi inflitor, dictus argentarius vel mensarius, qui credendo nummos publicam egentibus præstabat operam, veluti fide publica; atque hi argentarii, ut semper paratam haberent pecuniam, magna sapius contraherent debita. Si quis ergo eorum interceptis multorum pecuniis, clausa tabernâ ex urbe fugerat, vel latitaret, dicebatur *Foro cessisse* & *solum vertisse*; hos autem quos Ulpianus dicit, *Foro cedere*, l. 7. §. 2. *Depositi*, Papinianus dixit *Fraudatores*. l. 8. ff. *cod.*

Th. 12. Et cum his, quæ jam retulimus, omnino convenit descriptio Decoctorum in *Reformat. Noric. Tit. XII. leg. 1. rubr.* **Welche Personen vor Irünftig gehalten werden.** verbis. So ein Burger/ Burgerin oder Inwohner allhier jemand schuldig ist / und unvernünftig desselben aus der Stadt ziehen / oder sich Schulden halbdie wären verfallen oder nicht / in ein Glait oder andere Befreyung thun würde / auch diejenigen / so sich außserhalb ihrer kundlichen Krankheit / oder anderer erheblichen Ursachen verbergen / ihre Gewölber oder Räume zusperren / oder ihr pfleglich Haushalten / inn- oder außserhalb der Stadt verwenden / und damit als die auf flüchtigen Fuß stehen / zu Argwohn Ursach geben / oder durch sich selbst / oder jemand von ihrentwegen / den Glaubigern zu Gefährde ihre Haab und Gütter verstoßen oder verändern &c. Ita enim quoq; hoc Jure statutorio distinguuntur malitiosi decoctores & fraudatores à decoctoribus simplicibus, dum illi jam allegato textu Irünigige / hi vero *Tit. XI. leg. 6. Et alibi simpliciter: Schuldner* appellantur. Id quod adhuc clarior

rius pateſcit ex ejuſdem *Reform. Nor. leg. 6. cod. Tit. XII. §.*
 So dann & c. in verbis: Daß der Schuldner ohn Betrug/
 allein aus zugeſtanenem Unglück und ohne ſein Verſchul-
 dung in Unvermögen gerathen / ic.

Th. 13. Noſtro avo Decoctorum nomine ple-
 rumque veniunt *Falliti & Banccruptores*, quæ utraque
 nomina Italica linguæ ortum debent, hodiè autem
 Germanis, Latinis, Italis atque Gallis communia ſunt;
 & cum ex gallico libro etymologiam eorum cum de-
 finitione una quaſi manu tradere poſſim, quin id faci-
 am nullas dubito. *A ſcavoir, Meſſieurs de l'Acade-
 mie Françoife deſiniſſent la Banqueroute au 1. Tome de leur
 Dictionnaire à la page 49. Faillite, que ſont les Banquiers
 & autres Marchands, manquant à payer leurs creanciers
 par inſolvabilité feinte ou veritable. Et au Tome 3. à la
 page 50. ils diſent: Banqueroute eſt la deroute des affair-
 es d'un Negotiant, qui ceſſe de payer. Il ſe dit de l' Italien
 Banca rotta, comme qui diroit banque rompue; & c'
 eſt par cette raiſon, qu' on donne le nom de Banqueroutier à
 tous ceux qui ſont faillite. Cum idioma Gallicum hodiè
 apud nos communis ferè Mercurius factus ſit, ſuper-
 fluum quaſi iudico illa tranſponere; quia tamen pauca
 ſunt, id non omittam. Scilicet *Banccruptio eſt defectus qui ſit
 ab argentariis & aliis mercatoribus, in ſolutione eorum quæ
 creditoribus ſuis debent, deficientibus, eo, quod vel verè
 vel fictè non ſolvendo ſint.* & Tom. 3. pag. 50. *Banccruptio
 eſt diſſipatio negotiorum alicujus negotiantis in ſolutio-
 ne ceſſantis. Appellatur ex Italico Banca rotta, qua-
 li dicatur, bancarupta; & ob hanc cauſam nomen bancca-
 ruptoris**

ruptoris tribuitur omnibus fallimentum vel defectum facientibus.

Th. 14. Tantum est, nos non nominibus vel verbis inharere velle, sive sint debitores, sive decoctores sive bancaruptores, & sive bonis, sive foro cesserint; siquidem illi olim diversi, hodiè iisdem ferè nominibus veniunt; sed causas decoctionis inspicientes de iis iudicium statuemus nostrum; adeoque æquitatem sectantes cum supra celebrato Straccha, secundum causas sive modos decoctionis eos contemplabimur. Uti vero antea jam distinctionem attuli, quod alii suo, alii fortunæ vitio decoquant; ita dictus Straccha *in Part. 2. n. 2.* eam sic persequitur, & ait, quod is fortunæ vitio decoxisse dicatur, qui, maris fortè tempestate subortâ, merces & bona perdidit, vel à piratis direptus fuit, quo facit *l. 10. ff. qui satisfacere cog.* in verbis: *se medio tempore calamitas fideiussoribus insignis &c. l. 3. C. de Naut. fæn. & l. 18. ff. Commod. cum sexcentis similibus.* Vitio autem suo decoquit, qui bona sua dissipando atque dilacerando profundit, vel quod ludo merces perdat, à quo hæc & alia proficiscuntur mala, *l. 3. C. de Alcorib.* vel meretricum delinimentis, imo verius venenis corruptus, quibus animi perditorum inficiuntur & ad inopiam rediguntur. *l. 1. C. de Naturalib.* Baldus *in l. 1. C. qui bon. ced. poss.* Sunt & alii qui verè sua culpa conturbasse dici possunt, cum sumptuosis epulis bona consumunt, & fortunas abliguriunt, & ingluvie miseri simul consilium cum re amittunt.

Th. 15. Atque hinc Straccha colligit tria esse decoctorum genera. Primum illorum, qui fortunæ

vitio decoquunt, & hi inter viles homines semper fuerunt habiti; facit enim infelix paupertas ridiculos homines, quod durissimum est, ut Satyricus ait, est tamen hoc genus hominum miserabile. Secundum illorum, qui suo vitio; pessimum quidem genus hominum & nulla miseratione dignum. Tertium verò illorum, qui partim fortunæ partim suo vitio decoxere; quos admista culpa humiles & deploratos ac miseratione indignos putat. Hisce superaddit Straccha quartum, dum ita scribit; *Vidi etiam & audiui quosdam mercatores, qui maximis pecuniarum summis à compluribus mutuo receptis, consultò atque de industria auferunt, & se decoxisse fingunt, ut tandem creditores molestis defatigatos, & litibus atque expensis vexatos ad pactiones & iniquissimas condiciones trahant; quos inter decoctores non connumerò, & ideo in descriptione illud adjeci verbum: non solvendo factus.* Significatio enim verbi decoctor, ei qui solvendo est, & se non solvendo esse dolo malo fingit, repugnat.

Th. 16. Ex relatis his distinctionibus denique apparet, ob moralitatem in causa vel modo decoctionis apparentem; constitui posse Cessionem Bonorum duplicem, cum infamia & sine infamia, prout hoc infra Sect. de Effectu pluribus erit deducendum.

SECTIO II.

DE

Causa Efficiente & Impulsiva.

Thesis 1.



Causa efficiens duplex est, *proxima & remota*: de illa primùm; Et hæc in Cessione Bonorum nihil aliud est, quam voluntas debitoris, ejusque professio, quæ sola sufficit. *l. 6. C. qui bon. ced. poss.*

Oportet nim. Cessionem fieri non solum à volente, sed & in voluntate perseverante. Nam qui dixit velle bonis cedere, potest pœnitere, re integra *l. 2. C. qui bon. cedere poss. l. 5. & l. 3. ff. de Cess. bon.* scil. antequam re ipsa cedat; quemadmodum si, priusquam res pignorata distrahatur, debitor debitum consignaverit & deposuerit, impeditur pignoris venditio; *l. 8. & l. 5. Cod. de Distract. pign. & re adhuc integrâ* quis à consensu præfinito discedere potest, qui à se uno dependet. *l. 22. ff. de Leg. 3.* Id quod potissimùm procedet, si debitor solutionem offert, quia per eam tollitur omnis obligatio *pr. f. Quib. mod. toll. obl.*

Th. 2. Causa remota febilis nostri beneficij est Jus civile & speciatim quidem Lex Julia, à Cajo Julio Cæsare, ut Dd. plurimi credunt, lata, alii enim Augustum authorem ejus faciunt. Quod beneficium, juxta Franc. Hotomannum *Illustr. Quæst. 26.* ab omnibus equidem celebratur, utpote quod debitores, qui sol.

solvendo non sunt, si bonis suis cesserint, carceris & verberum periculo liberet; Sed à nemine, inquit, explicatur, quid illud sit; scil. quod, cum vetustis legibus, Porciâ & Semproniâ, civium Romanorum corpora quodammodo quasi sacrosancta essent, neque, verberibus in eos animadvertere liceret; tamen inopes debitores, nisi legis illius Juliae praesidio tuti fuissent, verberibus & cruciatui corporis subiciebantur, ut ex illius Legis Juliae beneficio intelligitur. Ne, itaque & nos illam Hotomanni taxationem incurramus, liceat mihi de his quaedam hic referre.

Th. 3. Insignem autem apud Romanos hac in re videre licet varietatem. Nam ex LL. XII. Tabb. post justos faciendi judicati dies elapsos (de quibus infra fortè clarius) in vincula duci debitores obarati poterant, ut verba legis referuntur à Gellio *lib. 10. cap. 1.* Imò ex eadem lege, si multi essent creditores, debitorem in partes secare illis licebat. Gell. *ib.* Covar. *lib. 2. Resolut. cap. 1. n. 1.* quo tamen rigore Romani usi fuisse non leguntur, ut est apud Gell. & Covar. *dd. II.* Sed moribus usurpatum est, ut debitores in compedibus vincti haberentur, aut in ergastulum, pro praestandis operis artificialibus truderentur. Quin & filii debitorum apud Romanos creditoribus addicebantur, teste Dionys. Halicarn. *lib. 6. sect. 4.* Cael. Rhodigin. *Antiq. lect. lib. 12. c. 20.* Et quamvis Lege Pætiliâ Papiriâ rogatum esset, ut pecuniæ creditæ causâ, bona debitoris saltem tenerentur, corpus autem minime neceretur. *Liy. lib. 8. decad. 1. &*, ut Cajus Manlius in Catilinaria historia apud Salustium loquitur, amisso patrimonio liberum

rum corpus esset; & novarum tabularum beneficio subinde afflictis debitorum rebus & rationibus quandoque succursum fuerit; Dionys. Halicarn. *d. lib. 6. Rhod. d. l.* Bodin, *lib. 5. cap. 2.* Tamen saepe ad priorem rigorem vincendi debitores reditum esse, historia docent.

Th. 4. Donec tandem Lege Julia introductum esset, ut is, qui sine dolo suo malo, ari alieno satisfacere non posset, bonis suis cedendo liberaretur. *l. 4. C. qui bon. ced. poss. & C. Theod. Tit. qui bon. ex L. Jul. ced. poss.* Quod jus pravis hominum moribus oblitteratum, in usum reduxit Diocletianus in *l. 12. C. de O. & A. Fr. Connan. lib. 4. comment. cap. 14. n. 7.* ubi simul demonstrat, jam ante LL. XII. Tabb. illam necestendorum debitorum consuetudinem invaluisse, quod & probatur ex Halicarn. & Liv. *dd. locis.* Mansit igitur post Legem Juliam sola bonorum venditio, qua infamiam secum trahebat, teste Cicerone in *Orat. pro Quinctio*, cum inquit: *cujus bona ex edicto possidentur, hujus omnis fama & existimatio cum bonis ipsis simul possidetur.* de qua porro Freher. *de Infamia lib. 3. c. 20. n. 13. seq.* Hujus autem ignominiae vitandae causa, domini oberati servos suos necessarios heredes cum libertate instituere solebant, ut in hos illam hoc modo derivarent. *S. 1. f. Qui & quib. ex caus. manum. non poss.* Veram ignominiosam hanc venditionem Justin. Imp. *Nov. 135.* penitus abrogavit. Cur autem ex hac Novella Irnerius nullam retulerit Authentica in *Cod. sub tit. Qui bon. ced. poss.* miratur Rittershus. *ad Nov. p. 9. c. 30. n. 3.* e jusque rei hanc rationem dari posse scribit: quod hoc

C

jus

jus novissimum Irnerii ayo. in desuetudinem abierit, & revocatum fuerit jus ff. & Cod. ut non aliter quis carcerem & alia incommoda declinare possit, quam bonis cedendo; idque ideo, quia iudices videbant debitores legum beneficii abuti, & fiducia cessionis res suas decoquere, adeoque suos creditores scienter fallere.

Th. 5. *Causa Impulsiva*, ob quam hoc beneficium Cessionis fuit introductum, est inopia ipsa, cuius misereri oportet; in gratiam enim egenorum condi posse & conditas emendare leges, evincitur *ex Nov. 2. pr.* potissimum cum inanis sit actio quam inopia debitoris excludit. *l. 6. ff. de Dol. mal.*

Th. 6. Verum enim vero beneficium illud flebile hodiernis moribus apud omnes ferme gentes, imò ipsos Christianos, ceu *infra Sect. ult.* latius deducetur, penitus fere est sublatum; & quidem Jure Statutario Norimbergensi, de quo nobis hic maxime fermo est, omnibus debitoribus absque ulla distinctione id ademptum videtur, per §. *ult. l. 6. Tit. XI. in verb.* Es soll auch den Schuldiger hierinn einige Cession oder Abtretung der Güter nit fürtragen / noch von obgemeldeter Ordnung (in qua sc. disponitur, ut debitor, si ex ejus bonis divenditis creditori nondum penitus satisfactum fuerit, in carcerem conjiciatur vel relegatur) befreyen oder entheben.

Th. 7. De ejusmodi quidem statutorum validitate dubitant Dd. & an recte rationi congruant, disquirunt. At vero, cum ex historia antiqua, idem quandoque invaluisse appareat, tanto minus hac in re harere debe-

debemus. Quinimo non hoc saltem in quæstionem vocant, sed illud multò magis: Utrum Statuta talia omnem omninò Cessionis bonorum usum tollant & adimant debitoribus, ut proinde, cum statuario quodam jure jus vetus revocatum & cessionis bonorum beneficium abrogatum inveniatur, nihilominus interdum auxilium hocce flebile & miserabile à calamitoso debitore implorari possit? Et ne longius ire, necesse nobis sit, primùm de statuto tali disertè egit post Baldum, Straccha *in tractatu sæpius citato de Decoctoribus part. 4. pr. n. 2. & seq.* existimans, legis municipalis severitatem ad eum, qui fortunæ vitio, non suo, decoxit, trahendam non esse, nec de eo qui fortuito casu in paupertatem incidit, Statuentes sensisse.

Th. 8. Sanè inter utrumque casum magnam existere differentiam, ipsa naturalis ratio monet, & jura cum vetera tum recentia docent evidenter. Neque enim ad alios rigor jurium, quam ad decoctores & dilapidatores pertinet. Stracch. *de Decoctor. P. 2. n. 1. & seq. P. 3. n. 1. & seq.* Menoch. *de A. J. Q. lib. 1. quest. 98. n. 15. & seq.* adeoque fortunæ vitio in eam calamitatem incidentes, dignissimi semper habitus fuerunt, qui à molestia carceris & vinculorum liberarentur; qui autem sua culpa illam sibi calamitatem accersiverunt, & in leges publicas deliquerunt, earum auxilio digni non sunt existimati; & ideò non ad hos, sed illos potius cessionis beneficium judicatum fuit pertinere. De his igitur, qui per vim majorem bonis eversi sunt, loquitur Imp. Gratian. *l. 1. Cod. Theod. Qui bon. ex L. Jul. & Justin. Nov.*

27. de his, qui ex accidenti, non supina negligentia, facti sunt non solvendo; eos verò qui datà operà rationes conturbant, à cessione ad carcerem decreta Comitiorum Imperialium remittunt, ut constitutum in der Pollicey-Ordnung de Anno 1577. tit. 23. Imo Interpretès eos quoque, qui partim sua culpa, partim fortunæ vitio, decoxerunt, ad cessionis bonorum beneficium non admittendos censent: hos enim admissa culpa humiles & deploratos ac miseratione indignos reddi putant, per *l. fin. §. fin. ff. que in fraud. creditorum*, Straccia. *d. part. 2. n. 2. & part. 3. n. 2.* Prosp. Farinac. *in prax. crim. quest. 26. n. 26. & seq. & num. 31.* Plot. *de in litem jur. §. 4. n. 62. & seq.* Matth. Bruni. *de Cession. Bon. quest. 5. quart. princ. & q. 28.* Boër. *decis. 349. n. 8.*

Th. 9. Ratio discriminis in eo fundatur, quod jura dolosis patrocinari non soleant, & potius his, qui ex necessitate, quam voluntate in calamitatem incidunt, subveniant. *l. 47. ff. de Rit. Nupt. l. 56. §. 1. ff. de Evict. l. 24. §. 4.* ubi Bart. *de Minor.* Unde & criminofus semet ipsum poenæ subdidisse dicitur, neque damnū sentire videtur, ubi propria causa in id incidit. *l. 34. ff. de Jure Fisci. l. 207. ff. de R. I.* Atque hanc fore statuentium mentem, verisimile est ex eo, quod statuta omnia ex naturali æquitate interpretationem admittant, & ne quis indebitè damno afficiatur *l. 2. ubi Gl. C. de Noxal. Act. Alciat. de V. S. lib. 1. n. 46. 47.* Menoch. *de A. I. 2. lib. 1. q. 7. n. 18. & seq.* Quodque statuta talia de incarcerandis debitoribus strictè intelligi debeant, secundum Menoch. *d. tr. lib. 2. c. 383. n. 9.*

Th. 10. Accedit & hæc ratio, quod, ubicunque statutum



statutum simpliciter contra jus commune conditur, considerari debeat, utrum jus commune habeat duo capitula, sive duas partes, unam de jure civili, alteram de jure naturali; tunc enim quoad jus civile tantum correctio inducta censetur, non vero quoad jus naturale, secundum Steph. Federic. *de LL. Interp. part. 2. pag. 136.* Est autem hæc pars juris, quæ per fortunam adversam obæratæ cessionem indulget, ex naturæ jure desumpta; cum contra carceris injuriam pro libertate corporum pugnetur. Aug. Bero. *quest. 133. n. 2.* Imò de interpretum sententiâ, non valere creditur statutum, quo fortunæ vitio lapsis bonorum cessione interdicatur. Bald. *in l. fin. n. 4. C. qui bon. ced. poss.* Straccha. *d. part. 4. in pr. n. 2.* Roder. Suarez. *d. tit. de Cess. Bon. §. 1. circa fin.* Proinde cum jus Saxon. *art. 39. lib. 3.* carceri includi velit simpliciter obæratum debitorem, Glossa tam germanica quam latina id de decoctore & fraudulenter in rebus suis versato interpretatur, fortunæ autem calamitate afflictum disertè excipit, id quod & probat Frid. Husan. *de Homin. propr. quest. 6. n. 22. & seq.*

Th. II. Cumque hæc ita se habeant, non veremur dicere & Reformationem Noricam, dum cessionem bonorum abrogat, & debitorem carceri publico tradendum statuit, saltem in eo, qui culpa sua, non in eo qui fortunæ vitio decoxit, locum habere. Cum enim publicus carcer loco privati sit surrogatus, hujus quoque juræ & conditionem iste sequeretur. Everhard. *Top. leg. in loco à vi surrog. n. 1. & seq.* Quomodo & alias dicimus legem corrigentem secundum terminos legis correctæ intelligendam esse. Menoch. *de Adip. remed. 4. n. 142.*

Et n. 334 & seqq. Et omnino suspicari licet, statutum nostrum ex post facto per ejus additiones seu potius explanationes, quæ quidem typis nondum expressæ sunt, ita fuisse explicatum; id quod vel exinde colligi posset, quod rarissimè vinculis publicis debitores constricti inveniantur, cum tamen in tanta civium multitudine, tantæque negotiationum frequentia, qualem Norimbergæ videre licet, toto ferè die debitores non solvendo facti appareant.

Th. 12. Et ponamus, verbis hujus statuti strictè inhærendum esse, Respublica tamen Norimbergensis, utpote jure LL. ferendarum gaudens, id non solum justè facit, sicuti legem illam ferre potuit, sed & fortè necesse habet, quia status Reipublicæ ita postulat.

Th. 13. Quod enim primum attinet, Respubl. Norimbergensis jus ferendi leges habet vi superioritatis territorialis, ipsi tanquam statui Imperii competentis. Instr. Pac. art. 8. §. Tam in universalibus. Schweder Part. spec. sect. 2. c. 9. n. 3. Limn. lib. 7. c. 1. n. 50. Schüz vol. 1. D. 6. th. 8. Status quippe Imperii est, qui 1.) habet votum & sessionem in Comitibus; 2.) in matriculam relatus est; & 3.) ad onera ac tributa Imperii confert; quæ omnia de Republica Norimbergensi in aprico sunt.

Th. 14. Ad alterum quod spectat, scil. quod status Reipubl. Norimbergensis id postulet, dicendum: Magistratum ejus prudentissimum semper præ oculis ferre Reipublicæ salutem & conservationem, quæ præferenda est cuilibet privatorum utilitati vel commodo. l. 1. §. 14. C. de Caduc. toll. imò jus tertii non tantum modificandi, sed & funditus tollendi justissima reputatur causa.

Natta

Natta *consil. ii. n. 4.* Salus autem Reipublicæ Norimbergensis, juxta prudens & circumspēctissimum ejus regimen, non minima parte dependet ex mercatura & opificiorum flore. Cum enim Norimberga in medietullo ferè Germaniæ, imo totius Europæ sita sit, privata opes negotiationibus variis ex Europa non solum, sed etiam extremis orbis terrarum regionibus ac insulis, illic velut in horreo conduntur, teste Pigh. *in Herc. Prodigio*; hinc Franc. Iren. *in Exegesi German. lib. 3. cap. 105.* inquit. *Tanta mercatorum stipatio est Norimbergæ, tantusque negotiatorum numerus, quibus India & ultima Thule cognita sit.* Atque hinc mercatura magna omnino hic habenda erit ratio.

Th. 15. Inter mercatores verò, ceu quidem inter omnes homines, maximè tamen inter illos, necesse est bonafide agere, utpote, quæ quasi exuberantior in iis requiritur; Ipsi enim quotidie sibi invicem, etiam absque ullo documento, tantas pecuniarum summas, tantique pretii res concredere solent, ex quibus vel opulentissimorum virorum, quinimò & multorum aliorum salus, pariter ac periculum, non tantum facultatum, sed & ipsius famæ, qua nihil carius, pendet. Quod si igitur in Republ. quasi permitteretur alterum fallere, bona ejus dissipare, decoquere & postmodum facta cessione bonorum, fortè satis exiguorum, impunè discedere, id sanè summa foret iniquitas & totius Reipubl. interitus proximus; e contrario ejusmodi statutum, ne quis vitare possit carceres, boni exempli est & ansam præbet circumspēctè ac fideliter contrahendi.

RECTIO

Th. 16.

Th. 16. Præterea modis omnibus hominum malitiis obviandum est, & cuius magistratus incumbit, civis suos à luxuria, intemperantia & omni iniquitate arcere, id quod carceris metus apud multos operatur. Inprimis vero increbescente decoctorum & fallitorum numero, ad refrenandam illorum audaciam, ne impune & sine aliquo rubore ad dicta beneficia petenda confugiant, pœnæ potius adaugeri, quam diminui debent.

Th. 17. Accedit proprium debitorum inde resultans commodum, cum scilicet illi hac ratione reddantur diligentiores & magis solliciti de solvendo ære alieno. Neque in carcere isto publico destituuntur occasione aliquid denuò acquirendi, verum tum opificio in eorum gratiam ibi instituto, tum elemosynam à prætereuntibus lugubri voce petendo, facillè sibi pecuniam ad exolvenda debita comparare valent. Denique etiam, prout *infra Sect. de Effectu* dicemus, tandem liberantur ab ipso debito: carcer enim iste non est perpetuus, sed post quinque vel decem annos ex eo dimittuntur, si debitum solutum sit, si non, neque pro eo amplius possunt impetiri, per Ref. Nor. §. Unde so die *Schuld leg. 6. Tit. XI.* ut adeo statutum hoc nullam planè iniquitatis notam apud probos cordatosque viros incurere possit.



SECT. III.

DE

Subjecto tam agente quam patiente.

Thesis I.



Um in superioribus calamus ultra terminos mente conceptos excurrerit, in presenti sectione tanto magis brevitati studebo. Quando autem de Subjecto beneficii nostri agente quaritur, dicimus omnem debitorem ad id confugere posse, *arg. l. 43. ff. de Proc. scl.* quia est ex genere permissorum; sive sit paterfamilias sive filiusfam. qui debet. *l. 7. C. qui bon. ced. poss. & cujuscunque sexus, sive masculus, sive foemina, d. l. 7. tam qui habet aliquid, quam qui nihil habet. arg. cit. l. 7.*

Th. 2. Excipiendi tamen sunt, qui in specie prohibentur, *scl. (1.) qui in fraudem creditorum bona sua alienarunt. Bald. in §. fin. & §. Item si quis. I. de Act. Nemini enim fraus & dolus patrocinari debet. l. 1. & l. 12. ff. de Dol. l. 134. §. 1. ff. de R. I. (2.) Eadem ratione repelluntur ab hoc beneficio, qui spe cessionis futurae contraxerunt, si modò de ea voluntate liquidò appareat. Guil. Benedict. *Part. 3. quest. An occidere peccatorem liceat? n. 37. Felin. in cap. fin. de Test. (3.) Mensæ argentariae eversores, propter dolum commissum, cum cessio miserorum sit. Bal. consl. 119. in volum. 3. Boerius decis. 215. n. 5. (4.) Decoctores pecuniae publicæ & qui fraudulentè in ad-**

D

scri-

scriptionibus illicitis inveniuntur, subjiçendi præterea per iudices locorum plumbatarum iuris. *l. 40. C. de Decur. lib. 10.* (5.) Spolians aliquem, non auditur recurrens ad beneficium cessionis; indignus quippe legis beneficio est, qui contra leges facit. *Rotæ decis. 83. Tit. de Restit. Spol. & jura non decipientibus, sed deceptis subveniunt. l. 2. §. 3. ff. ad Sct. Vellej.* (6.) Debitor non utitur cessione, si eo tempore, quo contraxit, sciebat se non esse solvendo, *Jas. in §. fin. I. de Actionibus n. 29. Bartol. in l. 14. §. 1. ff. Sol. matr. Boer. dec. 349. n. 8.* (7.) qui ea propter bonis vult cedere, ut munera civilia evitet, tanquam egestate ad illa sit inhabilis, non auditur. *l. 5. C. qui bon. ced. poss.* (8.) In Gallia alienigenis denegatur cessionis bonorum auxilium. *Odofr. in l. 1. in §. fin. C. qui bon. ced. poss.* Perinde ut apud Romanos olim beneficium hoc legis Julia civibus tantum indultum erat; postea, ad provinciales prorogatum. *l. 4. C. d. t. Balduin. ad §. fin. I. d. act.* (9.) Non tenetur creditor cessionem debitoris admittere, si lex municipalis eandem prohibeat. *Odofred in cap. 3. de R. I. & l. 2. ff. ad Sct. Vellejan.* (10.) Denique in religione iudicis situm erit, perpendere causas, propter quas cessionis beneficium debitor mereatur.

Th. 3. Hastenus de Subjecto agente; videbimus nunc de Subjecto patiente, an scil. quis creditor cessionem bonorum admittere debeat? Placuit autem (1.) non admittendam esse cessionem bon. pro multa debita ex crimine, sive ad eam damnatus sit clericus, sive laicus, *Boer. decis. 349. Hillig. ad Don. lib. 27. c. 4. lit. aa. Fab. in Cod. lib. 7. tit. 31. de f. 4. & 5.* Veluti si quis debitor sit

ex

ex maleficio, & litis aestimatio fiat; quo casu vera est regula, ut qui non habet in aere, luat in corpore *l. i. fin. ff. de Poen. l. fin. ff. de in jus. voc. l. 4. §. Quod si. C. de Serv. fugit.* (2.) Non habet locum bonorum cessio in obligatione, qua quis tenetur ad factum, quia factum pro parte restitui non potest *l. 21. §. 5. ff. de Nov. op. nunc.* Etenim quando quis ad cessionem admittitur, fit id ob impotentiam solvendi; qui autem ad factum tenetur, illud praestare potest; quare non liberatur cedendo, sed precise ad factum tenetur *l. 72. ff. de V. O. ut & ad dandum. l. 75. ff. eod. tit.* (3.) In causa fiscali vel aere Reipublicae, si quis aestimata lite damnatus pecunia ob malefictum fuerit, non potest liberari carceribus cedendo, sed quamdiu non solverit, illis constringitur. *l. 2. C. de Exact. trib. lib. 10.*

SECT. IV.

De Objecto.

Th. 1.

Quando de Objecto cessionis bonorum quaestio est, simpliciter dicendum, omnia cedenda esse bona, quae in praesentiarum debitor habet, & quidem ita, ut nec denarium debitor sibi retinere possit, sed excutiat omnis res debitoris usque ad baculum & peram, ut scribit Petrus Jacobi *in Praxi, Tit. de Cess. bon.* Et si is retineat denarium, nec cessionem valere, tradit Baldus *in l. fin. C. qui bon. ced. poss.* & Jason *in §. fin. l. de Act. n. 27.*

D 2

Th. 2.

Th. 2. Relinquuntur tamen cedenti vestes quotidiana, quas defert secum dum cedit, quemadmodum & damnato ad mortem. *l. 6. ff. de Bon. damnat.* Et hæc est communis opinio, quam probat Cynus *in l. 1. C. qui bon. ced. poss.* & Imola *in cap. Odoard. X. de Solut.* quia nec in obligationem generalem vestis venire censetur *l. 6. ff. de Pignor.* & si debitor carcere concluderetur, relinqueretur ei vestis. *l. 34. ff. de Re jud. junct. l. 43. ff. de V. S. Petrus Jacobi tamen tradit, relinquendam esse tantum vestem viliores & depilem, cæteras cedere creditoribus, qui contendunt de damno evitando, & de recuperatione propriorum, cit. loc.; in symbolum quod omnibus bonis se exuerint debitores.*

Th. 3. Cum hætenus dictis optimè conveniunt verba statuti Norici, ubi *Tit. XI. l. 6. §. Würde aber* ita legitur: *So soll auff sein des Glaubigers anrufen dem Schuldner auffgelegt werden/einen leibl. Nid zuschwezen ic. daß er außserhalb der Kleider/die er an hat / nichts vermöge/und weder ligend oder fahrende Güter noch anders hab/davon der Glaubiger bezahlt werden möcht.*

Th. 4. Sunt tamen certa bona, quæ debitor, etiam si velit, cedere non potest, ut sunt, quæ testamento alicui relinquuntur cum prohibitione alienationis; item feuda, non tamen usufructus eorum, ut notat Baldus *in l. 1. versic. nunquid ille. C. qui bon. ced. poss.* quia usufructuarius usufructum, quamdiu vixerit, in alium transferre potest. *l. 12. §. 2. ff. de Usufr.* Resoluto tamen jure dantis, & jus accipientis resolvitur. *l. 31. ff. de Pignor. l. 3. §. fin. ff. Quib. mod. Usufr. amitt. §. 3. ff. de Usufr.*

Th. 5.

Th. 5. Præterea Baldus *ad rubr. Qui bon. ced. poss.* notar, Studioſo bonis cedenti non poſſe auferri libros, non magis quam militi armata militiæ arma; quia ſtudioſorum arma ſunt libri. *Gl. in l. 125 ff. de V. S.* Ratio in ipſa æquitate conſiſtit, quò nimirum debitor inde ſibi alimenta quarere valeat, ſpesque ſuperſit, alia bona de novo acquirendi, de quibus creditoribus plenè ſatisferi queat. Mortuò tamen ſtudioſò, vel ſi is deſertor ſtudiorum fiat, ereditores libros ſibi rectè vindicant; quia ceſſante ratione prohibitionis, ceſſat prohibitio ipſa.

SECTIO V.

De Forma.

Th. I.



Onorunt ceſſio jure civili ſine aliqua ſolemnitate fit, ſola voluntatis expreſſione. *l. 6. C. Qui bon. ced. poſſ.* ut & profeſſione, & per nuncium vel per epiſtolam. *l. ſin. ff. de Ceſſ. bon.* de jure tamen canonico requiritur idonea cautio de reliquis debitis ſolvendis, ſi ad meliorem fortunam cedens devenerit. *cap. Odoardus. 3. X. de ſolut.*

Th. 2. At verò, cum jus canonicum idoneam requirit cautionem, diſpiciendum nobis erit, qualis hîc intelligatur cautio? Norum autem eſt, idoneam cautionem in pignorum vel fidejuſſorum datione conſiſtere. *l. 59. §. ſin. ff. Mandati.* quemadmodum & is, qui dilationem confequitur ad ſolvendum, cavere debet

de solvendo. l. 4. C. de Prec. Imp. offer. Ceterum, cum hoc beneficium ob inopiam solum, non propter dilationem sit indultum, ac præterea constet, eum, qui bonis cessit, nulla habere amplius bona, quæ pignori dare possit, & proinde neque fidejussores ullos ob inopiam inventurum esse, hinc idonea cautio, cum nomen hoc latè pateat. l. 3. C. de Verb. & rer. signif. l. 25. ff. de R. I. intelligitur ea, quam præstare poterit debitor, ut sic caveat, in quantum possit. can. 15. C. XXII. q. 2. videlicet juret & præstet cautionem juratoriam. Gl. in d. c. Odoard. per cap. Ex parte. X. d. V. S. promittatque se dissoluturum æs alienum, si ad pinguiorem venerit fortunam.

Th. 3. Et cum his omnino convenit Reformatio Norica quæ Tit. XI. leg. 6. §. Würde aber ic. ita disponit: So soll auff sein (des Glaubigers) anruffen dem Schuldiger auffgelegt werden/einen Leib. Aid zu schwezen ic. ob er über kurz oder lang zu besserm Glück oder Nahrung kommen würde/ daß er den Glaubiger vergnügen wolle/ getreulich und ohne Gefährde. Und so der Schuldiger solchen Aid zuthun sich wiedersehen würde/ soll er in Schuld-Thurn geführt und darinn von Dbrigkeit wegen/ solang biß er den Aid obbegriffener Maß vollführt/enthalten werden. Juratoria tamen illa cautio obtinet tantum eo casu, si debitor in carcerem non conjicitur, id quod indicant præcedentia verba legis jam allegata: Würde aber den Glaubiger / den Schuldner in Schuld-Thurn zulegen nicht begehren ic.

SECTIO VI.

De Effectu.

Th. I.



Effectus Cessionis varii sunt, quibus tamen infamiam juris non esse annumerandam, communiter creditur, licet, ut ajunt, suggillatione quadam famæ hæc res non careat, propter *Nov. 4. c. ult. & Nov. 135. pref.* Nos vero quia supra cum Straccha tria genera debitorum constituimus, ex eodem hic rursus de tribus hæc diversis, ratione hujus effectus, rem definiemus.

Th. 2. Si igitur de decoctore vel debitore quaeritur, qui fortunæ vitio decoxerit, hunc non infamem esse, respondet Straccha, idque probat ex *l. ii. C. Ex quib. caus. infam. irrog.* Si verò de eo sermo sit, qui suo vitio, vel eo, qui partim suo partim fortunæ vitio facultatibus lapsus fuerit, siquidem is de dolo malo vel fraude, quam in decoctione admisit, damnatus suo nomine pactusve erit, hunc inter infames connumerat, idque autoritate, ut inquit, *Jcti in l. i. ff. de his qui not. infam.* Ubi verò quis neque damnatus neque pactus fuerit, propter inhonestam tamen & culpabilem vitam, pravosque mores, facti infamiam huic irrogari putat, quoniam turpitudine vitæ decoctoris apud graves & bonos viros ejus opinionem onerat. *l. 13. C. Ex quib. caus. infam. irrog. quod & not. Decian. in consil. 530. n. 3.*

Th. 3.

Th. 3. Et cum his concordat Jus Statutarium nostrum Noric. ita enim habetur. *l. 6. Tit. XII. §.* So dann *ic.* So sich soviel befunden würde / daß der Schuldner ohne Betrug / allein aus zugestandenem Unglück / und ohn sein Verschuldung in Unvermögen gerathen *ic.* So soll er auf beschlossene Vertrags-Handlung wiederum in die Stadt gelassen / und ihme hinfür an seinen Ehren unverletzlich seyn. *Postea vero in l. 9. eod. Tit.* ubi sermo est de fraudulentis, ita dispositum est: Ob aber ein solcher gefährlicher Trümmiger sich mit seinen Glaubigern / außserhalb hievor im sechsten Gesetz geordneter Maß / vertragen hätte / und auf Eines H. E. Raths Erlaubnuß wiederum in die Stadt gelassen würde / So soll dannoch derselbig aller seiner Ehren und Aempter entsetzt auch hinfür zu keinen Ehrlichen Sachen gebraucht werden.

Th. 4. Alius effectus cessionis de jure civili, & quidem primarius est, ut debitor liber sit à carcere & aliis creditorum injuriis. *l. 1. C. Qui bon. ced. poss.* Verum enim vero hoc ipsum ob rationes supra allatas, per Statutum Norimbergense immutatum est; ita enim disponit. *lex 6. Tit. XI.* So zu des Schuldigers Gütern *ic.* mit Gerichts-Ordnung verholffen worden ist / und dieselben Güter zu völliger Entrichtung des Glaubigers erlangten Schulden / und aufgewendten Costens / nit gnugsam / so mag der Glaubiger umb sein hinderstelligen Rest / ihme zu des Schuldigers Person zuverhelffen begehren / das soll ihme auch vergönt / und der Schuldiger darauf erstlich in die Cyffen / und nach dreyen Tagen in de Schuld-Thurn geführet werden. *Idque absque ullo habito respectu cessionis bono-*

bonorum, per S. ult. ejusdem legis: Es soll auch den Schuldiger hierinn einige Cession oder Abtretung der Güter nit fürtragen noch von obgemeldter Ordnung befreyen oder entheben.

Th. 5. Quemadmodum verò Reformatio Norica Cessionem hanc effectu isto jure civili producto destituit; ita vicissim alium producit, quo eam destituit jus civile, scil. liberationem ab obligatione. Jure enim civili debitor, etiamsi omnibus bonis cesserit, adhuc tamen semper manet obligatus ratione reliqui, in casum pinguioris fortuna. l. 3. C. de bon. antbor. jud. possid. S. f. 7. de Action. Cessio enim non impedit substantiam obligationis, sed effectum saltem durante inopia, ut in l. 17. ff. Solut. matrim.

S. 6. Sed Jus nostrum Statutarium longè aliter ordinavit: scil. si debitor per tempus Statuto expressum in carcere fuerit detentus, eo elapso non solum dimititur, sed etiam obligatio est sublata, ita ut pro iis debitis non amplius possit impetiri; idque fortè ideo, quia jam pro debito civili poenas videtur luisse corporales. Ita nim. se habent verba Statuti Tit. XII. leg. 6. Und so die Schuld hundert Gulden nit übertrifft/ soll er (der Schuldner) im Schuld-Thurn fünf Jahr / da sich aber die Schuld über hundert Gulden erstreckt / zehen Jahr enthalten / und alsdenn zu Ausgang derselben Jahr / aus dem Thurn gelassen werden / auch hinsüro derselben Schulden halben gefrent und ledig seyn.

Th. 7. Denique etiam inter effectus Cessionis non infimus est ille, quod cedentes in bonis post cessionem acquisitis habeant beneficium competentiae; Cum enim jure civili, cedentes, cessione facta, adhuc obligati maneat; unque pro reliquo adhuc conveniri possunt;

E



sunt; sed ita, ut conventi à creditoribus deducere possint id, quod victui eorum est necessarium. Ita enim intelligenda *l. 6. ff. de Cess. bon. Innoc. in cap. 3. X. de Solut.* Inhumanum namque, inquit Justinianus §. *fin. 7. de Action.* visum est, spoliatum fortunis suis in solidum damnari; sicut & Venulejus iniquum putat, in eum actionem dari, cui bona ablata sunt, *in l. fin. §. pen. ff. de his quæ in fraud. Cred.* Subductis verò alimentis, omnia reliqua bona post cessionem acquisita adjudicantur creditoribus.

Th. 8. Singulariter tamen notandum est, nec acquisita post cessionem obnoxia esse creditoribus, quamvis ad pinguiorem fortunam pervenerit debitor, si cessionem fecerit infamem, ut, si nudato salv. ven. ano lapidi cedendo insedisset; quia jam pro debito civili pœnas videtur luisse corporales, per Gl: *in cap. 6. §. bi quoque. vers. si habet. X. de Homicid. & in cap. 4. de R. I. in 6.* Quod confirmat etiam Guido Papæus, atque tradit hanc formam cessionis infamem esse, *decif. 343.* ex consuetudine curiarum Lugdunensium & aliorum locorum.

SECTIO VII.

De variis Statutis & Moribus circa decoctores, tum jure antiquo, tum novo.

Th. 1.

NEjus statutarium Norimbergense sibi aliquid præcipui sumpsisse videatur, (de ejus justitia enim ex supra dictis constare puto) ex re esse arbitratus sum, hic referre tum quædam similia, tum longè duriora. Occipiam autem à Republica, quæ Norimbergensi ratione mercaturæ admodum est similis.

Th. 2.

Th. 2. *JUS LUBECENSE* *scilicet* disponit *Lib. 1 tit. 3.*
art. 1. Wann einer sein Gut auftragen und *bonis cedi-*
ren will / von Schulden die ihm mit Recht abgemahnet
 worden / so mag der Kläger und Glaubiger sich dessen be-
 denken / biß zum nehesten Gericht / ob er sich will an das
 Gut halten / oder aber auch die Person zu eigen annehmen.
 Auf den ersten Fall / mag er das Gut schätzen und wardie-
 ren lassen / und seine Bezahlung darans suchen ; zum an-
 dern / nimmt er die Person an / mag er denselben gefäng-
 lich einziehen lassen / und halten als einen Schuld-gefang-
 enen ; Will er ihn aber zu eigen annehmen / und er ihm
 also gerichtlich übergeben wird / soll er ihn speissen als
 das Gesinde und verwahren / wie man am besten kan / auch
 wol anlegen / wann er will / doch daß ihm an seiner Ge-
 sundheit kein Schaden geschehe / Er soll seinem Herrn seine
 Arbeit thun.

Th. 3. *Cum his concordat SAXONUM* Land-Recht
ubi libro 3. art. 39. creditori permittitur , debitorem in
 privatis vinculis post additionem judicialiter factam ,
 habere , tamdiu , quoad sibi ex operis illius satisfiat.
Coler. de Process. execut. part. 1. c. 6. n. 114. & seq.

Th. 4. Imò in universo IMPERIO ROM. per consti-
 tutiones generales id obtinere deberet ; Nam Carolus
 V. Imp. *16. C. 1531.* constitutionem quandam edidit con-
 tra decoctores & fugitivos , quà eos furibus manifestis
 æquales censendos declarat , quam vid. ap. Dan. Sauter.
in Praxi Bancaruptorum P. 3. c. 3. & per Recess. Imper.
de Anno 1548. in der Reformation guter Policy articulo
 22. expressè jubetur , eos comprehendi , & carcere
 detineri , donec creditoribus satisfecerint , ac si frau-
 dulenti & malitiosi fuerint debitores , præterea puniri
 & infames esse.

E 2 Th. 5.

Th. 5. Idque non apud Germanos tantum, sed etiam alias gentes obtinet, veluti in HISPANIA, referente Roder. Suarez ad LL. Regni. tit. de Cess. Bon. qui ipsum textum veterem Hispanici idiomatis hucce verbis refert: *Si algun home suere metido en prision por deuda que deve a aquel que lo haze meter en prision de le cumplimiento de pan, y de agua basta nueve dias; y el no sea tenudo de darla mas sino quisiere: mas si el mas pudiere aver de otra parte aya lo, y si en este plazo pagar no pudiere, ni aver fiador si oviere algun menester recaudelo aquel a quien deve la deuda, de guisa que pueda usar de su menestre, y de lo que el ganare de le que coma, y que vista guisadamente, y lo de mas reciba lo en cuenta de su deuda, y si menester no oviere y aquel a quien deve la deuda le quisiere tener, mantenga le assi como sobre dicho es, y firma se del; quod ita reddere lubuit: Si quis fuerit in carcerem coniectus, ob debitum, is qui cum incarcerari curat, det ei necessarium victum panis & aqua, ad novum usque dies, neque sit obligatus ei plus dare nisi velit: sed si debitor amplius aliunde habere possit, eo fruatur, & si in illo termino non poterit solvere neque fideiussorem habere, si habebit quoddam opificium, habeat eum, creditor in eum modum ut opificium suum agere possit, & ex eo quod lucri faciet, det ei unde cibo cotto vel condito vivat & reliquum accipiat in computationem sui debiti, & si opificium non habuerit, & creditor velit eum retinere, retineat eum ita, uti supra dictum est, & eo fruatur.*

Th. 6. In GALLIA fraudulentii debitores mortis poenam afficiuntur, reliqui vero per creditores in carcere detineri possunt, uti ex libro Gallico supra sect. de Etymol. cit. pag. 30. constat, ubi haec reperiuntur: *Les loix prononcent la peine de mort contre les banqueroutiers frauduleux, lors qu'on justifie la fraude, comme d'avoir suppose des creanciers, declare plus qu'il n'est deu aux vrais creanciers, au divertir leurs effets, pour ne point payer leurs dettes. A l'egard de ceux qui manquent par un malheur, ou par le naufrage d'un vaisseau, ou parce qu'on leur a fait banqueroute, à eux memes, les creanciers les peuvent retenir en prison, à moins qu'ils ne soient receus au benefice de cession, ou qu'ils ne passent des contrats d'abandonnement, qui s'homologuent en justice, i.e. Pro-*

Pronunciant leges mortis penam contra Bancruptores fraudulentos, si fraus demonstratur, veluti sinxisse creditores, indicasse magis debere creditoribus quam revera esse, vel disraxisse res suas, ne debita solvere possint. Quod attinet illos qui non solvendo sunt fortune vitio, vel per naufragium, vel quia ipsorum debitores decoxerunt, creditores eos possunt detinere in carcere, nisi illis concedatur beneficium Cessionis, vel celebrent contractus derelictionis, qui auctoritate publica firmantur.

Th. 7. Sunt etiam in ITALIA Statuta, quibus debitor præcisè in carcerem ire cogitur, neque cedendo bonis liberatur. Menoch. de Arbitr. Jud. Qu. lib. 2. cas. 183. n. 9. ubi speciatim Veronam, Papiam & Brixiam nominat.

Th. 8. Præterea reperire licet, decoctores semper multis modis *Ignominia* affectos fuisse; testatur enim Magon. decis. 88. n. 1. publico Luccensi decreto de Ao 1540. contradentes bonis cautum esse, ut teneantur portare in capite, ut vulgo dicitur, *la berretta gialla*, i. e. *pileum crocei coloris*; & apud Rothomagenses in Gallia, *galerum viridem*, ut illud insigne sit, quo ab omnibus dignoscantur, neve temere per imprudentiam contingat, ut recipiantur in pactiones frustraneas ac irritas. Sauter. in Prax. Bancr. p. 3. c. 2.

Th. 9. Sic quoque M. Mantuan. Bonavitus lib. 5. *Enchiridii rer. sing. t. 165.* tradit, Paduæ esse *lapidem*, dictum *vituperii*, in quo Cessio fieret, ter posteriori corporis parte lapidem percutiendo, & toties alta voce dicendo: *Cedo bonis*; idque ex lege municipali, quæ ibi est; sub *Tit. de Cess. Ban.* quam ait habuisse ortum à Romanis, habuit *leonem marmoreum* ante Capitolii januam positum.

positum, quem sic bonis cedentes natibus percutiebant. Paulus quoque Castrensis in aliis locis morem esse testatur, ut circumducatur is, qui cedere vult, per civitatem *cum tubis* & vituperio, usque ad locum in quo cedit. *diel. Castr. in l. 6. c. Qui bon. ced. pass.* Lege Roscia decoctoribus bonorum obaratis, quamvis fortuna vitio, aut parentum, nec suo decoxissent, erat in theatro publicè separatus ab omnibus *locus XIV. graduum.* Cic. *Philipp. 2.* Florus *in epitome Livii lib. 99.*

Th. 10. Apud BOEOTIOS *corbis ignominia* instituta erat in eos, qui æs alienum non dissolvissent. Ducebatur enim in forum debitor, sedereque jubebatur; postea super sedentem corbem injiciebant; hæc notata ignominia infamis censebatur. Hanc passus est Mnesarchus Euripidis tragici pater. Gyraldus *dialogo 7. Hist. Poet. & Stobæus Serm. 42.* Apud TYRRHENOS si quis æs alienum, quod conflaverat, non persolvisset, sequebantur eum pueri *vacuum* gestantes *marsupium*, ignominia causa. Heraclides *in Polit.* ÆGYPTIIS in usu erat *desunctorum corpora*, unguentis delibuta, ac si vivi essent, creditori oppignorare, & super his fœnerari, magno dedecore illorum, qui constituta die non reluissent. Alex. ab Alex. *lib. 6. c. 10.*

Th. 11. Sed censuerunt leges, non tantum ignominia afficiendos esse decoctores, verum etiam *verberibus, vinculis, exilio*, imò ipsa *morte*, quorum omnium adhuc quædam exempla afferemus; utque à levioribus ad graviora deveniamus, initium facere liberà

Ver-

Verberibus; Refert nimirum Guaguinus *in descript.*
Moscov. cap. 4 quod apud MOSCOVITAS,
 qui æs alienum conflagaverunt, non habentes un-
 de creditoribus reddant, ex legis præscripto in locum
 certum & publicum ad id ordinatum ducantur, ibique
 à servis prætorianis flagris, baculisq; per furas & crura pe-
 dum graviter absque ulla misericordia cadantur, tam-
 diu donec (undecunque accipiendum sit) creditoribus
 sua reddant. Quod si solvendo non sufficiant, tum ver-
 beribus multoties exagitati, creditoribus secundum va-
 lorem debiti servire cogantur.

Th. 12. Apud ROMANOS secundum dispositio-
 nem LL. XII. Tab. debitores perfidi in *vincula* con-
 jiciebantur. Ne autem in eo genere pœnæ videretur quid
 injustitia inesse, primò confessis de debito & judicatis
 triginta dies dati sunt, conquirenda pecuniæ causa;
 eosque dies Decem-Viri justos appellaverunt, velut
 quoddam justitium i. e. juris inter eos quasi interstitium
 & cessationem, quasi his diebus nihil cum iis agi jure
 posset. Hisce effluxis nisi dissolverent debitores, ad
 Prætorem vocabantur, & ab eo, quibus erant judicati,
 addicebantur. Verba Legis ita se habebant: *Æris con-*
fessis, rebusque jure judicatis, triginta dies justi sumo; post deinde
manus injectio esto, in jus ducito; ni judicatum faxit, aut se vi &
jure vindicat, statim ducito, vincito, aut nervo aut compealibus
quindecim pondo, nec minore, at si volet, majore vincito; si volet, suo
vovito; ni suo vivit, qui cum vincitum habebit, libras farris indies da-
to; si volet, plus dato. Alex. ab Alex lib. 6. c. 30.

Th. 13. *Exilio* apud ATHENIENSES debitores
 multabantur. Cum enim totus Atheniensis populus
 ære alieno opprimeretur à divitibus, non tantum cor-
 poris nexu multi debitores à creditoribus ducebantur,
 verum

verum etiam eorum haud pauci extra patriam venundabantur, quæ venundatio miseris exilium triste afferebat. Plutarch. in Solone.

Th. 14. *Mortis* ipsius denique poenâ afficiebantur debitores, prout refert Alex. ab Alex. l. 6. c. 10. Ap. ROMAN. enim si ob æs alienum, creditori debitor addictus foret, post diffractum patrimonium re familiari destitutus, postque vincula & catenas, membra ejus, brevissimo laniatu, ad creditorum libidinem dividi juebantur iniquissimo decreto sævæ atrocitatis immanitatisque. Verba legis XII. Tab. apud A. Gellium lib. 20. c. 1. hujusmodi sunt: *Tertius nundinis partem secanto: Si plus minusve secuerunt, sine fraude esto.* INDIS qui creditum moratur, si a creditore reus agatur, mox præfixa die, si non solvit, manu trunca & oculo effosso, morte afficitur. Alex. cit. loc. Apud TURCAS Imperator detecta perfidia debitorum, capite animadvertit in eos, ut tradit P. Ærod. Lib. 1. Imperator VALENTINIANUS debitores non solventes morte mulctari jussit, de eo enim memorat Ammian. Marcellinus lib. 27. quod, ubi debitorum aliquem egestate obstrictum, nihil reddere posse diceretur, interfici debere pronunciaverit.

Th. 15. Neque in REPUBL. POPULI DEI desunt exempla, quibus docetur, non solum oboeratos debitores, sed & horum liberos a creditoribus in vincula congestos fuisse. *Levit. XXV. v. 39. II. Regum. c. 4. vers. 1. Matth. V. v. 25. 26. & cap. XVIII. v. 25. 30.* Nemo igitur improbabit statutum quod decoctores carcere afficit.

TANTUM

SOLI DEO GLORIA.


00 A 6356

ULB Halle 3
002 927 241



Wort Rho ✓







B.I.G.

Farbkarte #13

INAUGVRALIS IVRIDICA
DE
TATE FLEBI-
NEFICII CESSIO-
BONORUM

QVAM
Divinâ adspirante Gratiâ
ORE MAGNIFICENTISSIMO
SIMO PRINCIPE AC DOMINO
HELMO HENRICO
Æ, JULIÆ, CLIVIÆ AC MONTIUM
&c. &c. &c.

Authoritate Illustris Jctorum Ordinis
N HAC ALMA JENENSI
SUB PRÆSIDIO
RIS ATQVE EXCELLENTISSIMI
TIANI WILDVOGELII

TI CONSUMMATISSIMI
RII SAXO-ISENACENSIS INTIMI
ET SCAB. NEC NON FACVLT. JURID.
SSESSORIS GRAVISSIMI
FEUDALIS ITEMQUE COD. ET NOV.
ROFESSORIS ORDINARI
ac Præceptoris sui submissè venerandi

LICENTIA
Honores & Privilegia ritè legitimèque consequendi
NI ERUDITORUM EXAMINI
die 19 MAji Ao C. MDCCIII
ante- & pomeridianis submittit
CHRISTOPHORUS Schreiber

Wehrdâ- Noricus,
Æ, Litteris MULLERIANIS.